

Nos terrarum ac libertatis extremos recessus ipse ac sinus
famae in hunc diem defendit, atque omne ignotum pro magnifico est ;
sed nunc terminus Britanniae patet, nulla jam ultra gens, nihil nisi
fluctus ac saxa, et infestiores Romani¹, quorum superbiam frustra per
5 obsequium ac modestiam effugias². Raptores orbis, postquam cuncta
vastantibus³ defuere terrae, mare scrutantur : si locuples hostis est,
avari, si pauper, ambitiosi, quos non Oriens, non Occidens satiaverit :
soli omnium opes atque inopiam pari adfectu concupiscunt. Auferre,
trucidare, rapere, falsis nominibus imperium, atque ubi solitudinem
10 faciunt, pacem appellant.

Liberos cuique ac propinquos suos natura carissimos esse
voluit : hi per dilectus alibi servituri⁴ auferuntur ; conjuges sororesque
etiam si hostilem libidinem effugerunt, nomine amicorum atque
hospitum polluantur. Bona fortunaeque in tributum, ager atque annus
15 in frumentum, corpora ipsa ac manus silvis ac paludibus emuniendis
inter verbera et contumelias conteruntur. [...] In hoc orbis terrarum
vetere famulatu novi nos et viles in excidium petimur ; neque enim
arva nobis aut metalla aut portus sunt, quibus exercendis reservemur.
Virtus porro ac ferocia subjectorum ingrata⁵ imperantibus ; et
20 longinquitas ac secretum ipsum quo tutius, eo suspectius⁶.

¹ *Infestiores [quam haec]*

² *Effugias* : subjonctif présent à valeur de potentiel + 2eme personne, à traduire par "on"

³ *[Eis] vastantibus* : datif complément de *defuere* / participe à valeur causale

⁴ *Servituri* : participe futur exprimant une destination fatale, inévitable (cf *morituri*)

⁵ *Ingrata [est] imperantibus*

⁶ *Quo tutius [est], eo suspectius [Romanis est]* : eo + comparatif / quo + comparatif : d'autant plus... que plus...